

Cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos, componere vero cum Italis, Hispanis etc., et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male ablati, vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant, decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel praestita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quae virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae, vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum Penitentium. XIII. Posse relaxare iuramenta, quae non sunt in favorem alteius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare, commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem divini Officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus a quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et poenis: non autem in publico defectu natalium quoad Generalatum; in publicis vero non nisi auditis Superioribus. XVII. Posse ab-

solvere apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant intra praefinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere ut ipsi transeant ad alium ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia; non tamen ad ordinem s. Benedicti antiquioris observantiae; neque ad consimiles congregationes cujuscumque ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispensare super defectibus, et censuris, etiam ob clausurae violationem. XX. Item concedere confessarium Monialibus (vide dicta de hoc lib. 6. n. 576). XXI. Vacante Sede apostolica, habere facultatem in foro conscientiae etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice non habebat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se praesentent; hancque facultatem post Cardinalis Penitentiarum ingressum in Conclavem transire ad signaturam. Alia quae pertinent ad matrimonii materiam, vide l. 6. n. 1444. Alia minus scita necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus*.

Demum hic nota, quod, cum litterae S. Penitentiarum committuntur magistro theologiae, vel Doctorum doctori, possunt eas exequi confessarii Societatis Jesu designati a Generali, vel Provinciali de eius licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Apr. 1582. Et idem possunt lectores jubilati ordinis Minorum, ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes; ita refert *Etbel tom. 3. Conf. 20. p. 506. num. 113.*

## TRACTATUS XX. DE PRIVILEGIIS

### CAPUT I.

#### DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI

1. *Differentia inter privilegium, dispensationem, et licentiam.*
2. *Quando privilegium derogat juri communi.*
3. *Quando privilegiatus tenetur uti privilegio.*
4. *Utrum extra Sacramentum censurae etc.*
5. *De clausulis, Ad instar etc., Quatenus sacris Canonibus non advenetur, etc., Supplentes defectus, etc.*
6. 7. et 8. *De interpretatione privilegiorum.*
9. 10. et 11. *De communicatione.*
12. *De privilegiis Regularium revocatis, cum declarationibus s. Pii V.*
13. *De rescriptis gratiae, et iustitiae, utrum expirent morte Pontificis.*
14. *Quot modis cesset privilegium.*
15. *Quomodo cesset per revocationem.*
16. *De revocatione expressa.*
17. *De tacita, et utrum sit intimanda, vel saltem publicanda revocatio.*

1. Privilegium definitur: *Lex privata, aliquid speciale concedens beneficium.* Privilegium differt a dispensatione quae eximit a lege, et ideo semper est odiosa, differt etiam a licentia quae conceditur tantum ad paucos actus. De privilegiis in particulari inferius proprio loco dicemus hic tantummodo adnotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi.

2. Et 1. ut privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria; praesumitur enim princeps jam scire leges communes. Excipitur tamen 1. Quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula: *Non obstante quocumque privilegio*; hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula, *Ex certa scientia, vel Ex ple-*

*nitudine potestatis* (3). 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem; has enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat (2).

3. 2. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio, Reg. 61. *Jur. in 6.* Sed excipiendum est 1. si non utendo, grave damnum proximo inferret: hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter; e. c. si confessarius habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti (3). 3. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur uti *ex cap. Si diligenti, de Foro compet. 3.* Si privilegium tollat impedimentum ad observandum praecipuum; e. c. si infirmus habeat domum oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti (4). 4. Si privilegium non est personale, sed reale, additum loco, vel dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis et Regularibus (5).

4. 3. Qui habet privilegium pro foro penitentiali, etc. absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiam si facultas concepta esset in terminis: *Sacerdoti confessario* (6).

(1) Salmant. tract. 18. c. 1. n. 42. et 43. cum aliis. — (2) Suar. de leg. l. 8. c. 14. n. 4. Castropal. l. 1. tract. 3. d. 4. p. 10 n. 9. et Salmant. loc. cit. c. 1. n. 8. cum Pelliz. Tamb., etc. — (3) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis. — (4) Suar. l. 8. de leg. c. 23. n. 8. et c. 35. n. 5. et 6. Pal. p. 7. n. 3. Sanch. de Matr. l. 9. d. 6. n. 14 Salm. c. 1. n. 12. cum Silvest. Avila, etc. — (5) Vide Salm. c. 1. n. 17. et 18. — (6) Suar. l. 8. de leg. c. 6. n. 15. Castrop. d. 4. p. 2. § 5. n. 6. e. Salm. tr. 18. c. 1. n. 33. cum Silvest.

5. 4. Loquendo de clausulis : clausula *ad instar* importat tunc valere privilegium, quando aliud (ad cuius formam secundum concessum est) fuerit validum saltem a principio, quamvis postea revocatum fuerit, vel non acceptatum, ut advertit p. Mazzotta. Alias enim, si primum privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimat id quod conceditur (1). Hoc tamen currit (ut aiunt præfati auctores) quando dicitur : *Ad instar*, non vero si dicatur : *sicut concessum est*, etc., ut limitant Bonacina et Garcias apud Salmanticenses. Clausula, *Quatenus sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantummodo Canonibus, in quibus est expressum : *Non obstante quocumque privilegio* (2). Clausula, *Supplentes singulos defectus*, intelligitur tantum de defectibus earum rerum, quæ requiruntur solum de *jure positivo*, et qui sunt tantummodo accidentales, non vero de defectibus naturalibus, aut substantialibus, utpote esset, si supplicans foret excommunicatus, aut si supplicatio foret subreptitia, vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam, aut personam supplicantis (3). Aliæ clausulæ videri possunt apud Salmanticenses (4).

6. 5. Loquendo de interpretatione privilegiorum, plura adnotanda sunt. Notetur 1. omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum (5). 2. Privilegia solum princeps, vel alii, quibus a principe foret commissum, authentice, vel juridice possunt interpretari. Doctrinaliter vero potest ea interpretari Tamb., etc. contra alios qui probabiliter etiam negant.

(1) Suar. l. 8. de leg. c. 15. n. 2. Castrop. d. 3. p. 2. §. 8. n. 4. Salm. c. 4. n. 39. cum Bonac. etc. et p. Mazz. t. 4. de Privil. p. 221. v. Scuto. — (8) Salm. tract. 48. c. 4. n. 50. cum Nav. Suar. Garc. etc. — (3) Salm. c. 4. n. 51. cum Barbosa, et Tamb. — (4) c. 4. ex n. 40. — (5) Salm. c. 4. n. 70. et 71.

quicumque vir doctus, cujus resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant; et quando in privilegio prohibetur quæcumque interpretatio, de sola authentica et juridica est intelligendum (6); aut ad summum intelligi debet de interpretatione quæ sit *ex professo*, ut dictum est de legibus (Tr. 2. n. 75.). 3. a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus prohibentur Episcopi interpretari juridice privilegia Regularium. Solum id ab Alexandro VI., et Paulo III. (quando apostolica Sedes consuli nequit) concessum est jurisperitis, cæterisque iudicibus in favorem Regularium. Idem concessum est Generalibus, visitatoribus, et etiam Provincialibus, et Prælati immediatis, quoties ipsi peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione regularium constitutionum et consuetudinum. Eodem modo possunt iidem Prælati auferre vel limitare subditis usum privilegiorum (7).

7. Notandum 4. quod generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretandum, ut habemus ex *cap. Olim 6. de Verb. sign.* ubi dicitur : *Cum beneficia principum interpretanda largissime etc.*; et ex *l. ult. ff. de Constit. princ.* Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quæ sunt derogatoria juris communis, aut statutorum, et consuetudinum particularium, dummodo hæc statuta non sint contra jus commune aut dummodo privilegium non sit insertum *in corpore juris*; ideoque aiunt Sanch. et Mazzotta (8), omnia privilegia realia late esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta in *jure communi*. Insuper excipitur, si alias privilegium redderetur inutile; aut si in eo extaret clausula *Ex certa scientia*

(6) Vide Salm. tr. 48. c. 4. n. 72. et 73. — (7) vide Salm. tr. 48. c. 4. n. 74. 75. et 76. — (8) Sanch. de Matr. l. 8. d. 4. n. 4. et Mazzotta loco cit. p. 223. c. 2. v. resp.

vel *Ex motu proprio*; vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud ad alios (1). Privilegia vero in præjudicium aliorum, cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio* (2).

8. Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus: sed ea quæ sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi, vel alicujus tertii, quemadmodum communissime affirmant dd. (3); privilegia enim communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitorum præstitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia, *ex l. Sicut persona. ff. de Relig.* (4).

9. 6. Loquendo de communicatione privilegiorum adnotetur 1. quod religiones mendicantes communicant in totum inter se de privilegiis præteritis et futuris; tum circa personas, tum circa loca, festivitates et indulgentias, prout habetur ex Bulla Sixti IV. Clementis VIII. et Leonis X. (5). Et hoc currit, quamvis religio, cui concessum est privilegium, vel non acceptaverit, vel eo usa non fuerit. Insuper quando ampliatur privilegium alicui religioni concessum intelligitur ampliatur etiam quoad alias (6). Insuper hæc religiones mendicantes communicant privilegiis cæterarum religionum, vel congregationum, vel collegiorum monastico-

(1) Salm. tr. 48. c. 4. n. 78. ad 80. — (2) ib. n. 83. et 84. — (3) Suar. de leg. l. 8. c. 27. n. 7. Castrop. d. 4. p. 40. n. 6. Mazzotta loco cit. et Salm. c. 4. n. 27. et 28. et iterum n. 85. et 86. cum Azor. Laym. Sylv. Bonac. Henric. Coninch. Lezana, Barb. et alii. — (4) vide Salm. c. 4. n. 25. ad 27. — (5) ib. n. 88. et 89. — (6) ib. n. 98. et 99.

rum; vel non monasticorum (7). Et hoc valet etiamsi in privilegio concessa alteri religioni, vel congregationi, adsit clausula quod non communicetur; nam in aliis Bullis de communicatione dicitur, quod tollitur quodcumque impedimentum communicationis (8). Hujusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi, ipsi enim vere Religiosi sunt (9), quam novitii, quemadmodum declaravit Clem. VIII. et est communis sententia (quicquid dicant quidam pauci) cum Suar. Sanch. Castr. etc. (10); fruuntur quoque Religiosi ad Episcopatus promoti, dummodo non agatur de rebus, quibus, Episcopis utantur, aliquod religioni præjudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio: datio suffragii, etc. (11). Tertiarii autem, et Tertiariæ (vel beatæ) subditæ mendicantibus, et quæ habitum religionis deferunt, et votum habent castitatis (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres scapularis, et cinguli (vocati *Cordonis*), etc. fruuntur tantum, et participant in omnibus indulgentiis et remissionibus peccatorum, sed non in alio (12).

10. Notandum 2. Moniales tam ordinum mendicantium, quam non mendicantium, gaudere privilegiis monachorum sui ordinis, et consequenter cujuscumque alterius ordinis in omnibus, quorum sunt capaces (intellige de favorabilibus). Hoc valet etiamsi privilegium tantum de hominibus loqueretur, ut deducitur ex Bulla Leonis X. Atque ita e contra-

(7) Ita communissime Salm. tr. 48. c. 4. n. 90. cum Rodr. Pelliz. Tambur. etc. — (8) Salm. tr. 48. c. 4. n. 107. cum Rodr. Basseo, Merranda, Bon. Diana, Donato, etc. — (9) vide Salm. tr. 45. de statu relig. c. 4. n. 33. — (10) Suar. in 2. s. Thom. t. 4. de relig. t. 10. l. 9. c. 4. n. 48. et Salm. ib. c. 3. n. 85. cum Sanch. Castr. Lezana, Pelliz. et aliis. — (11) vide Salm. dict. tr. 45. c. 5. n. 43. cum Suar. Lez. et Castrop. — (12) Salm. tr. 48. c. 4. n. 94. cum aliis.

no fratres gaudent privilegio Monialium omnium ordinum, ex eo quia ipsi communicant (ut superius dictum est) privilegio concessis cuiusque religioni, congregationi, aut monasterio (1). Sed redeundo ad Moniales, huiusmodi privilegia gaudent etiam illae, quae Pontifici aut Episcopo subiacentur: atque ita, quando Religiosis conceditur privilegium ut absolvantur, vel dispensentur a suo Praelato, Moniales subjectae Episcopo possunt quidem ab eodem absolvi, et dispensari. Et hoc currit etiam in privilegio nominarentur tantum Moniales quae Regularibus subditae sunt (2).

11. Notandum 3. privilegia non communicari quando sunt odiosa, vel contraria propriis statutis, adeo ut praedificent bono, sive communi observantiae religionis (3). Notetur 4. privilegia alicui concessa non tanquam personae particulari, sed ratione sui officii, seu dignitatis, vel tanquam membro illius communitatis, intelliguntur concessa omnibus aliis ejusdem officii aut ejusdem communitatis. Et privilegia concessa subditis seu Praelatis inferioribus, etiam Praelatis superioribus, concessa intelliguntur (4). Similiter privilegia concessa alicui conventui, aut ecclesiae, aut particularibus alicujus conventus, sed tanquam membra illius, intelliguntur quoque concessa caeteris Religiosis tam illius ordinis, quam aliorum qui communicationem habent quando scilicet eadem, vel similis ratio militat (5). Sed hoc non est intelligendum de privilegiis quae conceduntur alicui congregationi ad tempus determinatum, vel per brevia par-

(1) Vide Salm. tr. 48. de privit. c. 1. n. 91. — (2) Suar. de leg. l. 8. c. 40. n. 7. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2. n. 4. et Salm. tr. 48. cap. 1. n. 92. cum Castr. Lez. Pelliz. Bordonio. Boss. et aliis contra paucos. — (3) Castrop. dist. 4. §. 9. n. 2. et Salm. rap. 4. n. 100. cum Pelliz. Lez. Portel. Tamb. Barb. — (4) Salm. c. 1. n. 140. et 111. — (5) Salmant. b. cum Pelliz. Garcia, Quintan. Tamb. etc.

titularia sunt concessa alicui monasterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus quae difficile solent concedi (6).

12. 7. Certum est, ut habetur ex prop. 36. damnata ab Alexand. VII. Religiosos non posse amplius uti privilegio jam revocatis per Concilium Tridentinum. Verum, hoc non obstante, attendenda sunt quaedam Declarationes Concilii factae per S. Pium V. in sua Bulla: *Etsu mendicantium*. Haec sunt 1. quod saeculares possunt audire Sacrum et conciones in ecclesiis Regularium. 2. Quod Episcopus nequeat impertiri licentiam ingrediendi monasteria Monialium exemptarum. 3. Quod quarta funerum non intelligitur nisi de eo quod affertur (7). 4. Quod confessarii Monialium exemptarum, et concionatores regulares in propriis ecclesiis non examinentur ab Ordinario: verum quod attinet ad confessarios, hoc privilegium abrogatum est per varias apostolicas Constitutiones, et praesertim per Bullam *Apostolici ministerii*, emanatam ab Innoc. XIII. anno 1723. et confirmatam per Bened. XIII. die 23. sept. an. 1724. Ibi in §. 18. declaratur quod confessarii Monialium exemptarum debeant examinari, et approbari ab Episcopo diocesis, *remota quocumque contraria consuetudine etiam immemorabili*.

13. 8. Distinguendum est *rescriptum gratiae*, ut esset absolventi, dispensandi etc. a *rescripto justitiae*, ut exercendi jurisdictionem, appellandi etc. In *rescripto gratiae* dicitur, *gratia facta* quando delegatus habetur tanquam merus necessarius executor: *Gratia facienda*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio delegati. *Rescriptum justitiae* expirat morte principis, dummodo res adhuc sit integra, et idem de *rescripto gratiae* facienda: Oppositum vero dicendum de *rescripto gratiae* factae.

(6) Salm. c. 4. n. 448. cum Peyrin. Tamb. Merula etc. — (7) vide Salm. tr. 48. c. 4. n. 137.

ut absolventi, recipiendi ordines *extra tempora*, de oratorio privato, etc. (1). Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem concedentis (2): vide quod dictum est Tr. 16. n. 82. Quod si in concessione exprimitur officium delegati, mortuo delegato, transit etiam ad successorem (3).

14. 9. Privilegium nullis modis cessare potest, et 1. per decursum termini constituti. 2. Per cessationem causa finalis: intellige quando privilegium est concessum sub conditione dictae causae; sed quando concessum esset absolute; adest opinio valde probabilis, quod etiam si cessaret causa finalis, non cesset tamen privilegium, neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus (4). juxta id quod diximus de Dispensatione Tr. 2. punct. cap. 6. n. 66. *defin.* 3. Ob renuntiationem privilegii, in quo notandum est, quod particulares nequeunt renuntiare privilegio communitatis, et ut valida sit renuntiatione, fieri debet in manu illius qui privilegium concessit, et ab eodem acceptari (5). 4. Per usum contrarium, vel per non usum; in dubio tamen praesumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est, quod privilegia gratuita, quae non sunt aliis gravamina, ut absolventi, dispensandi, vel jejunandi, et huiusmodi, haec nunquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi (6). Privilegia contra quae torto sunt onerosa, ut non solvendi Decimas, et similia, haec praescribuntur per usum contrarium, et etiam per

non usum privativum (non vero dumtaxat negativum) quod accidit, quando privilegiatus conscius iam sui privilegii, occasione oblati, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in privilegio non sit clausula *utendi ad sui arbitrium*. (7). Insuper hoc intelligitur pro foro externo, nam in conscientia non amittit privilegium qui animum non habet renuntiandi (8). Potest cessare etiam privilegium per abusum sive in totum, sive in partem (9).

15. Cessat 5. privilegium ob revocationem principis. In hoc autem distinguere oportet privilegia gratuita a remunerativis, et ab onerosis; si privilegium est mere gratuitum, revocari potest, valide etiam sine justa causa quamvis hoc non excusatur saltem a culpa veniali, si scandalum absit (10). Si vero cum privilegio translatum fuisset dominium alicujus rei in privilegiatum, illud revocari nequit nec licite, nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis vel gravis defecti, vel ob illas causas, ob quas revocari potest qualibet donatio (11). Sed si privilegium est remunerativum, vel ob justitiam, vel ob gratitudinem, semper requiritur justa causa, ut valide revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa concessum ob praedium acceptum, vel ob aliquod onus privilegiato impositum, tunc ut revocetur (ultra justam causam) requiritur compensatio. Et hoc dicendum de privilegiis remunerativis ob justitiam, ut dicunt communiter dd. (12).

(7) Castr. p. 48. n. 4. Bonac. loc. cit. n. 3. et Salm. n. 14. cum Laym. Garc. Lez. etc. — (8) vide Salm. tr. 48. c. 2. n. 48. — (9) ib. n. 47. — (10) Pontius l. 8. de dispens. c. 49. n. 15. Castr. p. 21. §. 3. n. 3. et Salm. tr. 48. c. 2. n. 37. cum Suar. Sanch. Bou. etc. — (11) Castr. p. 21. §. 2. n. 2. Bonac. d. 4. q. 3. p. 8. §. 3. n. 5. Suar. de leg. l. 8. c. 37. n. 7. et Salm. c. 2. n. 29. cum Pont. Garc. Lez. etc. — (12) Suar. loco cit. n. 6. et 7. Pont. n. 13. et Salm. tr. 48. c. n. 30. et 85. cum aliis.

(1) Castr. d. 3. p. 46. §. 4. n. 41. Sanch. de Matr. l. 8. di-p. 38. n. 43. Salm. tr. 48. p. 1. a. n. 141. ad 146. cum Suar. — (2) Salm. tr. 48. c. 1. n. 449. — (3) ib. n. 156. — (4) ib. c. 2. n. 3. et 4. — (5) ib. n. 5. ad 8. — (6) Suar. de leg. l. 8. c. 37. n. 47. Bonac. d. 4. q. 3. n. 3. et p. 49. n. 4. et Salm. c. 2. n. 43. cum Laym. Pont. Lez. Garcia, etc.

16. Revocatio vero privilegiorum alia est *expressa*, alia vero *tacita*: quoad *expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis, etc.* ut revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob justitiam (ut supra dictum est), in quibus mentio specialis fiat merito in particulari. 2. Privilegia quæ clausulam habent: quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia Regularium, quæ etiam specialem mentionem requirunt, qui sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futuræ revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodr. Portel. et Miranda apud p. Mazzotta. 4. Privilegia inserta in corpore juris, quia tunc sunt veræ leges, et ut revocentur, requiritur clausula specialis, *non obstantibus legibus in contrarium, etc.* (1). Idem asserunt Bon. Sanch. Castr. et Salm. cum Molin. Pelliz., aliisque quamplurimis, (contra Pontium) de privilegiis concessis ab aliquo Concilio generali, quæ non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, *non obstante qua cumque Constitutione, etiam a Concilio generali edita*, ut colligitur ex cap. *Ex parte, et cap. ult. de Capell. Mon.* (2). Opponit Pontius Ecclesiæ praxim, et quamdam Declarationem S. Pii V. Sed Castropalaus cum Garcia respondet gratis id asseri: tantum inquit, a Garcia referri quemdam motum proprium S. Pii, in quo dicitur,

(1) Suar. l. 8. c. 38. n. 3. et c. 44. n. 8. Bonac. d. 4. q. 3. p. 8. §. 3. n. 41. Castr. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 3. a. n. 2. Pent. l. 8. c. 49. n. 16. Mazzot. t. 4. de Privil. q. 2. c. 1. p. 234. et Salm. c. 2. n. 39. et 40. — (2) Bonac. dip. 4. q. 3. p. 8. §. 3. n. 43. v. Tertio Castr. §. 4. n. 6. Sanch. de Matr. l. 3. d. 26. post. n. 6. v. sed hæc et Salm. tr. 48. c. 2. n. 41. cum Pelliz. Bass. etc. contra Pontium l. 8. de dispens. c. 49. num. 49

quod concessionem propria Pontifici manu signatam non egent aliqua Tridentini revocatione, neque generali, neque speciali. Omnes vero præfate limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes præfati dd. communiter affirmant; unde si in lege revocatoria adsit clausula *ex certa scientia*, aut *ex motu proprio*, aut *de potestatis plenitudine*, tunc revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis: aut quando revocatio præjudicaret juri a tertio acquisito (3).

17. Quot attinet ad revocationem *tacitam*, privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quamcumque legem universalem in contrarium, etiamsi in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum privilegium aliis concessum non posset effectum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis; non præsumitur enim legislator velle condere legem inutilem, aut concedere privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est, quando privilegia prius concessa nota sunt principi, quemadmodum præsumitur de omnibus privilegiis insertis in corpore juris. Quod contra non præsumitur de aliis quæ existunt *extra jus*; unde horum specialis mentio est facienda (4). Affirmant aliqui, ut Sotus Henriquez et Quintanad. quibus adhærent Salm. in quodam loco (5), quod privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intimetur civitati, vel religioni. Verum ipsimet Salm. postea in alio loco (6) se retractant, et merito, asserentes cum

(3) Vide Salm. c. 4. n. 40. et 42. — (4) Suar. de leg. l. 8. c. 39. n. 2. Pont. de dispens. l. 8. c. 19. n. 19. Castr. d. 3. p. 21. §. 4. n. 40. Bon. d. 3. p. 8. §. 3. n. 44. Salm. tr. 48. c. 2. n. 43. et 44. cum aliis communiter. — (5) Salm. tr. 40. de Cens. c. 2. n. 81. — (6) Tr. 48. de privil. c. 2. n. 45.

Laym. Suar. Portel. et Lezan. quod sufficit ad invalidandum privilegium (ut diximus loquendo de Legibus, Tr. 2. a. n. 5 ad 8.); ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses a publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de privilegiis in communi, in sequentibus capitibus agetur de privilegiis in particulari Ecclesiasticorum, Episcoporum, et Religiosorum.

## CAPUT II.

## DE PRIVILEGIIS ECCLESIASTICORUM.

48. *Quibus in rebus Ecclesiastici sint exempti a potestate laicali.*  
49. *De privilegiis Canonis et fori quoad personas.*  
20. *Quoad bona.*  
21. *Quis gaudeat hujusmodi privilegiis.*  
22. *De beneficiatis.*  
23. *De tonsuratis.*  
24. *De illis qui deposuerunt habitum.*  
25. *ad 28. De immunitate piorum locorum.*

48. Ecclesiastici jure divino exempti sunt a potestate sæculari quoad materias spirituales, vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones Prælatorum, etc. ut constat ex can. 3. Concilii romani. Quoad personas vero, et loca Ecclesiasticorum, quæstio est utrum sint vel ne exempti jure divino? Multi negant, ut Lessius Cajetanus Becanus et Salm. (1). Multi alii affirmant, ut Suarez Azorius Laym., etc. et probant ex pluribus textibus, et præsertim ex cap. *Quamquam de Gentibus in 6.* et ex Trident. *sess. 25. c. 20. de Ref.: Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticorum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam.* Certum tamen est Ecclesiasticos tum jure canonico, tum civili non esse subjectos foro laicali (2). Cæterum tenentur in conscientia illis legibus civilibus, quæ non repu-

(1) Tr. 8. de Ord. c. 7. n. 6. — (2) vide Jura. ap. Less. de Just. l. 2. c. 33. dub. 3.

gnant eorum statui, non vi *coercitiva* ut dicitur, sed *directiva*, ut uniformentur communitati (3).

19. Ecclesiastici ergo gaudent 1. exemptione circa suas personas. Præter privilegium Canonis, cujus vigore incurrunt excommunicationem qui injuste illos percutiunt (de quo actum est Tr. 19. n. 48. et sequentibus), gaudent clerici immunitate, ne puniantur a curia laicali, ut patet ex legibus a Becano relatis (4). Et quamvis jus civile eos eximat tantum in causis civilibus, et in criminalibus eas recognoscendi sibi jus reservaverit nullatenus clericos cendemnando nisi post degradationem; nihilominus jus canonicum totaliter eos exempt (5). Verum his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas laicalis ad clericorum incarcerationem procedere, ut si e. c. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret in fragranti patrantem aliquod delictum, tunc enim potest ad ejus incarcerationem procedere, ut postea remittat curiæ ecclesiasticæ, quod si interdiu illum invenerit potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non pœna mortis), si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio Episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere clericos notorie sodomitas; hi enim a Leone X. et S. Pio V. omni clericali privilegio spoliati sunt (6). Cæterum pro quocumque alio crimine clerici nequeunt puniri a curia sæculari c. *fin. de Vita et hon. Cler.* et cap. *In audientia 25. De Sent. excomm.*

20. 2. Gaudent Ecclesiastici exemptione a foro laicali quoad propria bona tam ecclesiastica, quam quoad

(3) Est commune cum Salm. tr. 8. c. 7. n. 46. — (4) De Sacram. c. 26. q. 9. — (5) vide Salm. tr. 8. c. 7. ex n. 24. — (6) In. a. n. 27. ad 29. et a. n. 48. ad 20.

cumque alio modo acquisita; unde respectu, illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex cap. Quia. et ex cap. cler. de Immunit. eccl. in 6. et ex l. Sancimus 22. c. de Sacros. Eccl. (1) Clerici vero negotiatores circa bona mere ecclesiastica negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione c. Quamquam 4. de Censib. in 6. Quoad vero reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem (2). Insuper notandum hic est, quod in casu urgentis necessitatis, potest princeps extrahere eisdem, et vendere frumentum Ecclesiasticorum (3).

21. Hi qui gaudent præfatis exemptionibus tam quoad personas, quam quoad bona, sunt primo omnes Regulares cum suis novitiis et Tertians, et etiam beatæ Franciscanæ tertii ordinis, Carmelitanae etc., quæ defertur habitum una cum voto castitatis; quemadmodum declaravit S. C. Insuper Equites s. Joannis, s. Jacobi, Alcantaræ et Calatravæ, ut probant Bonac. Filliuc. et Diana (4). Insuper omnes clerici in Sacris constituti. De aliis vero in minoribus, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trident. sess. 23. cap. 6. de ref. Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. Atque hoc privilegio gaudent etiam clerici conjugati qui deferunt habitum et tonsuram, et Ecclesie inserviunt; verum in cap. ult. de Temp. Ord. in 6. prohibetur conjugatis tonsura, nisi velint religionem ingredi, vel in Sacris ordinari prævia uxoris licentia (5).

(1) lb. n. 35. et 55. — (2) Salm. n. 54. cum Ess. Mot. etc. — (3) Salm. tr. 8. c. 7. n. 47. cum Diana, Moll. — (4) Vide Salm. c. 7. a. n. 56. ad 58. — (5) Vide nostrum opus morale l. 6. n. 827. v. eodem.

22. Igitur privilegio fori gaudent beneficiati, etiamsi nulli Ecclesie inserviant, neque deferant habitum et tonsuram, ut probabiliter inferitur ex Concilio, ut voluit Salmant. cum Filliuc. Diana et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus beneficii, neque possideant, sufficit enim quod solum titulum habeant, ut aiunt Garc. Fill. et Diana contra Salm. Sufficit etiam capellania, vel præstimonium, quæ censentur tamquam vera beneficia: sed non sufficit pensio (6).

23. Gaudent 2. clerici in minoribus, et tonsurati, dummodo habitum simul et tonsuram deferant, juxta id quod affirmat Concilium: Clericalem habitum et tonsuram deferens, et ut probabiliter existimant multi dicitur Castr. et Barb. contra Salm., qui interpretantur particulam et pro particula vel, ita ut sufficere dicant alterutrum (7), dummodo Ecclesie servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est, ut alicui Ecclesiarum serviant, etiamsi hæc destinata non sit ab Episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini (8).

24. Ut vero clerici in minoribus constituti foro priventur (nam aliud de Canonis privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia hæc requiritur tantum pro beneficiatis, et pro ordinatis in Sacris, ut deducitur ex cap. Contingit de Sent. exca., vel pro minoribus qui negotiis secularibus se addicunt, ut habetur ex cap. Ex litteris de vit. et hon. cleric. (9), sed sufficit quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaraverit S. C. et quemadmodum communiter affirmant dd. (10).

(6) Vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 62. et 63. cum aliis. — (7) Vide nostrum opus l. 6. n. 827. — (8) de Synodo l. 7. c. 69. n. 4. — (9) vide opus nostrum l. 6. n. 827. — (10) Apud car. l. Lambertini de Synodo l. 5. c. 14. ex n. 4. et apud Salm. tr. 8. c. 7. n. 65.

Dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant Salm. cum Bon. Suarez Barbos. et aliis quamvis vero præfati clerici nequeant allegare forum, potest nihilominus Episcopus eos a foro seculari resumere juxta declarationem S. C. ab hodierno Summo Pontifice approbatam (1). Illi vero clerici qui habitum resumunt, jure gaudent privilegio, dummodo id in fraudem non faciant: quæ fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua causa civili jam citatus fuisset ad forum laicale; aut pro causa criminali jam fuisset in carcerem conjectus; aut vero e carcere sub cautione egressus: ut aiunt Salm. cum Bonac. (adversus Gutierrez et Ceballos), et Cardinalis Lambertini cum pluribus Decretalibus S. C. (2) Magna vero quæstio est, utrum potestas laicalis possit cognoscere causas innocentium adversus Ecclesiasticos. Quidam theologo absolute affirmant; sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad Superiores ecclesiasticos majores (3).

25. Immunitas autem ecclesiasticolorum quoad asylum delinquentium, competit jure ecclesiastico et civili omnibus ecclesiis quamvis interdicto subjectis sive pollutis, et etiam ditulis (nisi omnino præsulis auctoritate fuerint profanatae), earumque capellis sacristiis, cæmeteriis, etiam ab ecclesia separatis, muris campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro ecclesiis cathedralibus, et triginta pro aliis ecclesiis, (sed hoc intelligendum de illis quæ sunt positæ extra mœnia urbis, vel loci), dummodo non intercedat via publica, aut aliqua sæcularium domus: aliud vero est si domus sit alicujus clerici (4). Gaudent eadem immunitate

(1) vide Lamb. loco cit. — (2) Salm. loco cit. n. 67. et card. Lamb. de Syn. c. 67. n. 1. — (3) vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 76. — (4) Vide Salm. tr. 18. c. 3. ex n. 86.

hospitalia in quibus extat aliqua capella publica, oratoria ab Episcopis erecta, palatium episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris, hortis et porticibus ante ecclesias, vel monasteria (5).

26. Omnes vero delinquentes, dummodo sint christiani, licet hæretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad prædicta sacra loca confugerint, hæc gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur qualibet consuetudo in contrarium. c. Noverint de Sent. excomm. et Authent. de sacros. Eccl. (6). Excipiuntur tantum in Bulla Gregorii XIV. latrones publici, depopulatores agrorum qui committunt homicidium per proditorium, vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex excepit omnia homicidia pro tuta ecclesia), vel in ipsa ecclesia, vel cæmeterio; insuper hæretici, et rebelles contra eandem personam principis (7). Et in casibus clare exceptis potest iudex secularis ex se extrahere ab ecclesia delinquentes juxta communem praxim. In dubio autem iudicium exceptionis spectat ad Episcopum; ita Salm., et alii (8). Præter delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad ecclesiam confugiens (9).

27. Quæstio est, utrum clerici et Religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum præsulum: affirmant multi, ut Barb. Bordon. Gutierrez. quibus suffragatur quedam declar. S. C. atque, hæc sententia est probabilissima, ut aiunt Salm. Nihilominus ipsi cum sententia communissima Suar. Castr. Laym. Bon. Sylvestri aliorumque negant tam vigore Bullæ Gregorii XIV. quæ respectu præfate immunitatis loquitur tantummodo de laicis: Ut laicis ad ecclesiam confugientibus, etc., quam vigore communis, et jam receptæ

(5) Salm. tr. 18. c. 3. a. n. 84. ad 98. — (6) lb. n. 89. — (7) lb. n. 96. cum Suar. Castr. Pelliz. Gutierrez. etc. — (8) vide Salm. ex n. 96. — (9) lb. n. 95.

consuetudinis; anas enim Religiosi semper in monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti vero possunt Superiores ecclesiastici (Episcopi et eorundem Vicarii, extrahere proprios subditos ab ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eandem extrahendi licentiam curiæ sæculari concedere (6). Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua jurisdictione exempta (7).

28. Extrahentes vero, aut illi qui tentaverunt extractionem incurrunt excommunicationem *ipso facto*, a qua nequeunt absolvi nisi a Pontifice, aut ab Episcopo; Decretum enim Clementis VIII. aufert facultatem tantum simplicibus confessariis, quamvis regularibus (8). Advertendum hic est quod Religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et rite id facere possunt (9).

## CAPUT III.

## DE PRIVILEGIIS EPISCOPORUM.

29. I. De facultate cap. *Liceat*. Utrum valeat Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, et ex defectu dubia.
30. Quibus in locis non est receptum Tridentinum, etc.
31. Qui veniat nomine Episcopi.
32. De peregrinis. Et utrum Episcopus absolvere possit a casibus papalibus extra confessionem.
33. Quomodo delictum intelligatur occultum.
34. Utrum Episcopus valeat hanc facultatem delegare.
35. Utrum a casibus ab aliis Episcopis reservatis, etc.
36. Si a casibus post Concilium, etc.
37. Utrum Episcopus possit absolvere confessarium absolverem complicem in peccato turpi.
38. Utrum Episcopi a casibus Bullæ Cænæ, etc.

(9) Salm. tr. 48. c. 3. n. 120. — (1) Ib. n. 123. — (1) Ib. n. 147. — (2) Ib. n. 148.

39. Utrum valeant dispensare in irregularitate, quæ per hæresim incurritur.

40. Utrum valeant absolvere impeditos

41. Et utrum per alios.

42. Qui dicuntur impediti.

43. De perpetuo impeditis.

44. Utrum hi teneantur per epistolam etc.

45. Utrum teneantur saltem recursum habere ad Episcopum? Quid si recurrere nequeant, etc. Quid si sint in mortis articulo

46. 47. et 48. II. De sex casibus episcopalibus, et præsertim de absolutione censura propter percussione clericum.

49. III. De dispensatione cum illegitimis.

50. Cum bigamis.

51. IV. Circa irregularitates ob delictum occultum; et quid si homicidium sit omnino occultum.

52. De homicidio casuali.

53. V. Circa inhabilitates.

54. VI. De facultatibus Episcoporum circa matrimonia.

55. De dispensatione circa publicationes, votum castitatis, et impedimentum ad petendum, remissive. Circa impedimenta dirimentia dubia.

56. Circa dirimentia certa, si matrimonium sit contractum.

57. Si non sit contractum.

58. Utrum Episcopus possit hanc facultatem delegare.

59. VII. De dispensatione interstitiorum.

60. VIII. De dispensatione capellani, ut celebrare valeat in alia ecclesia.

61. IX. De celebratione post meridiem.

62. X. De oratoriis.

63. Quibus in locis possit celebrare Episcopus.

64. Utrum valeat dispensare ad celebrandum domi.

65. XI. De facultate Episcoporum, et Prælatorum circa electionem proprii confessarii.

66. XII. Circa clausuram Monialium.

67. De approbatione confessariorum Monialium.

68. XIII. Utrum valeant commutare ultimas voluntates.

69. XIV. De compositione in restitutionibus incertis.

70. XV. De reductione Missarum, Quoad juramenta, et vota (remissive ad tract. 5. n. 15. n. 42.) De

unione beneficiorum, novarum parochiarum erectione, etc.

29. Episcopi vigore Trident. sess. 24. de Ref. cap. 6. *Liceat*. sequentes habent facultates: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum; in foro conscientie gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientie eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Quare Episcopi vigore dicti cap. *Liceat*, dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Diximus ob delictum occultum; unde bene aiunt Bon. Castr. Salm. etc. quod non potest Episcopus vigore prædictæ facultatis, dispensare in aliqua irregularitate occulta ex defectu (1), nisi esset dubia, ut probabiliter tenent Fagn. et Tourn. cum Gibert aliisque deducentes ex cap. *Nuper de sent. excom.* (2); juxta ea quæ diximus, Tr. 2. n. 57. Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se, vel per alium sacerdotem ad id specialiter deputatum, a casibus papalibus occultis, quinimo juxta Concilium poterant ante etiam ab hæresi absolvere (per se non per alios); sed vide dicenda n. 38.

30. Quoad hanc Concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis

(1) Lib. 7. n. 469. — (2) Fagnan. in 2. part. 1. decreta l. c. Veniens de Fil. presbyt. n. 7. et 8. Tournely cum aliis tr. de leg. c. 6. a. 2. et de disp. in irreg. part. 2. c. ult.

in quibus Tridentinum non est receptum nequeunt Episcopi uti præfata facultate cap. *Liceat*, ut notant comm. dd. (3) et merito: facultas enim Concilii non recipitur ab Episcopis, nisi per acceptationem illius: et valde incongruum esset ut Concilii gauderet privilegiis, qui onera subire recusaret.

31. Notandum 2. sub nomine Episcoporum communi sententia venire etiam Vicarios capitulares *Sede vacante*; non vero Vicarius Episcoporum ex generali eorum commissione vicariatus; nam Vicarius bene potest quod potest Episcopus potestate ordinaria propria (ut dicitur n. 47.), non vero id quod potest Episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote adnexa officio, ut dicitur n. 34. et 47. Præterquam quod in hac facultate requirit Concilium expresse delegationem specialem (4). Utrum vero veniant Abbates, et alii qui jurisdictionem episcopalem habent: negant Coninch. Barb. etc. cum p. Suar., qui assert etiam quamdam declarationem S. C.; affirmant vero communius Fagnan. Sanch. Castrop. Sayrus Avila Salmant. La Croix etc. dicentes, quod quando concessio facta est *in jure*, habet rationem legis quæ extenditur ad omnes casus, in quibus currit eadem ratio: alias, aiunt, talium Prælatorum subditi ad quem recurrerent non haberent (5).

32. Notandum 3. nomine *subditorum* venire etiam peregrinos, qui ab Episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus papalibus occultis, ut docent Suar. Sanch. Bonac. Navar. Barb. Trullench. Boss. alique; quia etsi Tridentinum concedat

(3) Suar. in 3. d. Thom. part. de censur. dist. 41. sect. 2. n. 6. Sanch. Dec. l. 2. c. 41. n. 3. Salm. de poenit. tr. 6. c. 13. n. 3. cum Alter. Castr. t. 1. tr. 4. dist. 4. p. 3. §. 1. n. 2. Barbos. et Gare. — (4) Vide Sanch. de matrim. l. 2. disp. 40. n. 13. et seqq. — (5) Vide opus nostrum l. 6. n. 593. v. eandem et l. 7. n. 79.